



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Defensiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

contra? Ad hoc respondetur ex superioribus quod si sunt ex noviter constitutis, nec illis, nec presentibus accrescunt: si sunt ex antiquioribus etiam respondetur negativè quoad absentes. Ratio est, quia non debet quis locupletari cum aliena jactura, & denarium debetur illi ex condigno, qui portavit pondus diei, & factus, ut in Evangelio *Mat. cap. 20.* & ita servatur in praxi Beneventi, & in Archiepiscopatu, & in aliquibus Collegiatis Ecclesijs.

Secundum dubium, est aliquod anniversarium, vel funerale, vel quid hujusmodi in aliqua Ecclesia celebrandum, in quo relictum est tantum pecuniæ quantitatis, cum hoc, ut omnes Canonici ibi assistant, dum divina celebrantur officia, deficiunt aliqui, utrum portiones absentium debeant dividi inter presentes? Ad hoc respondetur ex Covar. *lib. 3. cap. 13. num. 7. var. resolut.* quod quando relictum est, ut cuique Canonico, sive alijs qui presentis sit, detur certa & definita quantitas, quod tunc pars quæ non datur absentibus, non dividitur inter presentes, & sic videndum esset statutum, sive legatum, quia ex facto oritur jus; si verò simpliciter, ut dividatur inter Canonicos, tunc portiones absentium accrescunt interessentibus, & sic videtur dicere gloss. *in d. Clem. 2. in ver. pars dimidia, & in ver. & scias.* Rebuff. *pract. benef. in tit. de dispens. non resid. num. 10. & 11.*

Ad quintum. Privilegium distributionum quotidianarum est, ut non teneantur, qui eas percipiunt, tribuere Seminario, ita fact. Congreg. *in declarat. 338.*

& cum loquatur indistinctè, intelligendum est de omnibus tam de antiquis, quàm de noviter fundatis, & sic ubi non essent nisi quotidianæ distributiones, quia tunc non teneretur solvere quid, vel contribuere Seminario, ut est Beneventi. Vide multa de hac materia in Boer. *dec. cit. nec computantur in fructibus, Caputaq. dec. 263.* nec veniunt in condemnatione fructuum, intellige de illis, quæ singulis diebus distribuuntur interessentibus: secus autem si in fine anni totæ simul, idem *decis. 26. p. 2.* Vide Gemin. *in cap. fin. versi. ex his inferitur, de offi. ordin. lib. 6. & melius in cap. quia per ambitiosè, notab. 6. de rescript. li. 6.* ubi dicitur, venire appellatione fructuum, & sic debere exprimi in valore beneficij; intellige de istis, qui veniunt in massam, communem; quia in notabili antecedenti dicit, quod absens causa studij non percipit distributiones quotidianas, sed quando sunt, percipiuntur; ergo loquitur de illis quæ indies distribuuntur inter presentes.

DEFENSIONES.

Primo, an possit reus renunciare defensionibus, vide *in versi. heretici, §. 18.* Vide omnino Jasonem *in l. si quis in scribendo, n. 15. ver. item adde, de pact.*

Secundò, in criminalibus dantur etiam post sententiam condemnatoriam, Foll. *pract. crim. f. 17. n. 8.*

Tertiò, defensiones probantur per testes conjunctos, fœminas, & per præsumptiones, idem *ubi supra, num. 13.*

Quartò, de defensionibus vide eund. *ubi supra à n. 176. & infra.*

X

Quintò

Quinto, defensiones debent dari, & quarari à iudice ex officio, & maxime quando videret reum indefensum, *Boll. tit. 4. de conf. n. 12.* & debent dari etiam convicto, etiam reo non petente, etiam sponte confessis, idem *ubi supra, n. 10. § 14. Et tit. de sent. num. 1.*

Sexto, quamvis iudex habeat amplum arbitrium, non potest denegare defensiones reo, idem *in tit. de inquisit. num. 2.*

DISPENSATIO. SUMMARIUM.

- 1 Quae causa sine explicanda in impetratione dispensationis matrimonialis apud summum Pontificem.
- 2 An deur dispensatio inter fratrem & sororem in secundo gradu consanguinitatis.
- 3 Quid agendum quando matrimonium iam est contractum, & postea oritur impedimentum, & non potest fieri separatio.
- 4 Quae causa explicanda summo Pontifici pro impetranda dispensatione, si non habeat quis unam ex his.
- 5 Quando possit Episcopus dispensare ex causa, ubi alias Papam dispensare oporteret.
- 6 Quando conjugati consummarent matrimonium post datam, an dicerentur surreptitia impetratio, & quid si ante datam.
- 7 Qui examinandi testes pro informatione impedimenti, & graduum.
- 8 An possit Episcopus dispensare in impedimenti impedientibus, & non dirimentibus.
- 9 Qui gradus explicandi in impetratione.

AD primum. Vide Navar. *ca. 21. n. 87.* Prima est incompetencia dotis, Secunda, extinctio magnae lucis. Tertia,

angustia loci, quae potest esse duplex, vel quia major pars habitantium ibi, sunt ei consanguinei, vel affines, & extra illos non inveniret ita facile parem suae conditionis, vel quia si veller extra illum locum nubere, non haberet dotem sufficientem. Quarta, sedatio seu concordia inimicitarum, seu discordiarum. Quinta, quando vir dives vult ducere in uxorem sibi attinentem pauperem, constituendo illi dotem, istas causas addit sac. *Congregat. declar. 53.* & tam in tertio, quam in quarto gradu sufficiunt. Multas alias causas numerat Navar. *conf. 13. de consanguin. & affin.* quae faciunt attinentem Principis ad dispensandum, non solum in matrimonio contrahendo, sed vel iam de facto contracto, prima est ignorantia iuris, secunda maior utilitas, tertia proles habita, quarta diuturnitas matrimonij male contracti, quinta scandalum grave, sexta mortis evitatio, septima miseria puellae indotatae.

Ad secundum. In secundo gradu affinitatis, vel consanguinitatis non dispensatur nisi inter magnos Principes, ob publicam causam. Nav. *loc. citat.* Staph. *de lit. grat. fol. 313. n. 7.* & quomodo intelligatur secundus gradus in collateralali, vel descendenti inaequali, vide *Rebuff. in reg. de dispensat. in grad. probu. gloss. ult. n. 8.* tamen hodie vidi dispensari in utroque gradu inter Barones, & titulos regni Neap. & in hoc disposuit Gregorius XIII. videatur in Bulla sua die prima Martij 1591. & Bul. Paul. IV. quae est 16. & incipit: ab e ipsa die, & Clem. VII. quae incipit: Quia plerumque.

Ad tertium. Respondetur, quod prima est,